



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmansdorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatæ Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Celsissime, ac Reverendissime Princeps, Domine Domine Clementissime.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

CELSISSIME, ac REVEREN-
DISSIME

PRINCEPS,
DOMINE DOMINE CLE-
MENTISSIME.



Aurora, omnium primo mon-
tes inaurat, montes respicit,
montibus benedicit. MARI-
AM, intimi *Virginis* cultores,
Auroram intitulant; *Celsitudinem*
Vestram, an non *Montem Agni*
orbis honorat? *Aurora* MA-
RIA, utique hoc anni cursu *Montem Agni* undi-
que inauravit, clementissimè respexit, abundè
benedixit, dum cœlestis hæc *Aurora*, *Celsitudini*
Vestra

❖ ❖

Vestræ ter fuit Aurea Hora. Aurea Hora, quâ Celsitudinis Vestræ, in intimum Cæsareæ Majestatis conclave, ad secretissima Consilia adsciscitur. Aurea Hora, in quâ Celsitudinis Vestræ dexteritas, mille millum in placita vota conciliavit animos, Legatus Sapientia, & Fortuna floridissimus; POLONIÆ desideratissimum procuravit, firmavit, stabilit REGEM. Aurea Hora, in quâ Celsitudinis Vestræ indefessa Pastoralis Cura, Ecclesia PASSAVIENSIUM optatam obtinuit Pacem. Pro tot Aureis Horis Celsitudini Vestræ largiter impertitis, cœlesti Aurora, Austria Thaumaturgæ MARIAE, PASSAVIENSIUM AUXILIATRICI, (ut potè Reginæ Sandorum Omnium) Festivale hoc, in teneram gratitudinis tesseram, supplex sacrifico; in vota perennis; MARIA, cœlestis Aurora, Montem Agni, Celsitudinem Vestræ, cum inclytâ Domo Lambericâ, ultrò inauret, benedicat, foveat, tueatur: Detque Vestræ Celsitudini, centum Aureas Oras, & innumeratas Aureas Horas.

CELSITUDINIS VESTRÆ

infimus Capellanus

SEBASTIANUS HENRICUS PENZINGER
Consistorialis, Decanus & Parochus in Trauttmansdorff.

Augu-